

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Maria n cum fontibus primis

Disce uirginem moribus, disce uirginem
uerecundia, disce uirginem oraculo, disce misterio,

solam in penetralibus quam nemo uirorum uiderat.
Solus angelus reperit, solam sine comite,
solam sine teste ne quo
dignum dampnaretur affatu. →

Disce ergo uirgo uerborum uitare lasciuiam;
Maria eciam angeli salutationem uerebatur,
ab angelo salutatur. ←

Vbi clauso super se hostiolo orabat
Patrem in abscondito.

Non est enim putandum
hostiolum uirginis apertum

ne uel orantis turbaretur silentium, uel
continentis castitas temptaretur.

Ambrosius.

Disce uirginem moribus, disce uirginem
uerecundia, disce uirginem oraculo, disce misterio.

Trepidare uirginum est et ad omnes uiri ingressus
pauere, omnes uiri adfatus uereri. Discant mulieres
propositum pudoris imitari.

Sola in penetralibus, quam nemo uirorum uideret,
solus angelus repperiret: sola sine comite,
sola sine teste, ne quo

degeneri deprauaretur adfatu, ab angelo salutatur.

Disce, uirgo, uerborum uitare lasciuiam;

Maria etiam salutationem angeli uerebatur.

Ambrosius Mediolanensis, *Expositio euangelii
secundum Lucam*, 2, 8 (CCSL 14, M. Adriaen &
P.A. Ballerini eds., pp.33-4, ll.111-119).

Puto in secretarium pudici cubiculi,
ubi fortassis illa, clauso super se ostio, orabat
Patrem suum in abscondito. Solent angeli adstare
orantibus et delectari in his quos vident levare
puras manus in oratione: holocaustum sanctae
devotionis gaudent se offerre Deo in odorem
suauitatis. Mariae autem orationes quantum
placuerint in conspectu Altissimi, Angelus
indicavit, qui, ingressus ad eam, tam reverenter
salutavit. Nec fuit difficile Angelo per clausum
ostium penetrare ad abdita Virginis, qui utique ex
subtilitate suae substantiae hoc habet in natura, ut
nec seris ferreis eius arceatur ingressus, quocumque
suus eum impetus ferat. Angelicis enim spiritibus
parietes non obsistunt, sed cuncta illis visibilia
cedunt, cuncta aequae corpora, quantumlibet solida
vel spissa, penetrabilia sunt eis ac peruia.

Susplicandum igitur non est, quod
apertum invenerit Angelus ostiolum Virginis, cui
nimirum in proposito erat hominum fugere
frequentias, vitare colloquia;
ne vel orantis perturbaretur silentium, vel
continentis castitas tentaretur.

Bernardus Claraeuallensis, *Homiliae super "Missus
est"*, 3, 1 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M.
Rochais eds., p.36, ll.10-24).